



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

32. Amplificatio luctuosi spectaculi de bonis Cn. Pompeij hastæ subiectis:
Per hypotyposin, sustentationem, Epiplexin, &c. 2. Philipp. n. 64.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

potius quam officina nequitiae, diuersorum flagitiorum omnium? Ipse verò quemadmodum composito & delibuto capillo passim per forum volitet, cum magna caterua togatorum, videtis, Iudices: vt omnes despiciat, vt hominem prae se neminem putet, vt se solum beatum, solum potentem putet.

Amplificatio Capacitatis, 2. Philipp. num. 65.

Per partium enumerationem, & comparata.

C A P V T XXXI.

IN eius igitur copias cum se subito ingurgitauerit, exultabat gaudio persona de Mimo, modò egens, repente diues. Sed, vt est apud Poëtam nescio quem, *Mala parca, male dilabuntur* incredibile, ac simile portenti est, quoniam modo illa tam multa, quam paucis non dico mensibus, sed diebus, effuderit; maximus vini numerus fuit, per magnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa & lauta suppellex, & magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. Horum paucis diebus, nihil erat. Quae Charybdis tam vorax? Charybdis dico: quae si fuit, animal vnum fuit. Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam dispersas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum, apotheca: torae nequissimis hominibus condonabantur, alia mimi rapiebant, alia mimae, domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum: totos dies potabatur, atque id locis pluribus: suggerebantur etiam saepe (non enim semper iste felix) damna aleatoria conchyliatis Cn. Pompeij peristromatis: seruorum in cellis lectos stratos videres. Quomobrem desinite mirari, haec tam celeriter esse consumpta: non modò vnus patrimonium, quamuis amplum, vt illud fuit, sed vrbes, & regna celeriter tanta nequitia deuorare potuisset.

Fit per subiectionem ante oculos,
cum vibrata quadam orationis celeritate.

Amplificatio luctuosi spectaculi de bonis Cnei Pompeij haesta subiectis.

Per hypotyposin, sustentationem, epiplexin, &c. 2. Philipp. n. 64.

C A P V T XXXII.

HAesta posita pro aede Iouis Statori, bona miserum me! (consumptis enim lacrymis, tamen, infixus animo haeret dolor,) bona, inquam, Cnei Pompeij Magni, voci acerbissimae subiecta praconis: vna in illa re feruitutis oblita ciuitas ingemuit, seruientibusque animis, gemitus tamen populi Romani liber fuit expectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam Dijs hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere: inuentus est nemo praeter Antonium, praesertim cum tot essent circa hastam illam, qui auderet, quod omnium fugisset & formidasset audacia. Taurus igitur te stupor oppressit, vel, vt verius dicam, taurus furor, vt primum cum sector sis isto loco natus, deinde cum Pompeij sector, non te execrandum populo Romano, non detestabilem, non omnes tibi Deos, omnes homines, & esse inimicos, & futuros scias.

Et haec plena, artificiosa, & grauis. Primum, quam apposita interiecta, luctuosa parenthesis. Bona (*miserum me*) deinde, vide vt suspendit animos. *Expectantibus omnibus quisnam esset tam impius.* Postremo, quae fulmina exclamationum! *Taurus igitur te stupor oppressit, &c.*

Amplificatio Belli crudelis: Philipp. 14. n. 9.

Per causas efficientes, effecta, comparata, &c.

C A P V T XXXIII.

Bellum inexpiabile infert quatuor Coss. vnus omnium latronum terribissimus: gerit idem bellum cum senatu populoque R. omnibus, quanquam ruit ipse suis cladibus, pestera, vastitatem, cruciatum, tormenta denuntiat. Dolabellae ferum & immane facinus, quod nulla barbaria posset ignoscere, id Deorum consilio factum esse testatur, quae que facturus esset in hac vrbe, nisi eum hic ipse Iugiter ab hoc templo, atque mœnibus repulisset,